

Q.K.416.6.

X 2346508

104

IO. CHRISTOPHORI
HARENBERGII
EPISTOLA

II i
1961

AD

IO. ADAMVM SCHIERIVM

A. M.

DE

LAVRENTIO MARTYRE ET DE CONDITO
IN EIVS HONOREM MONASTERIO

AD SCHOENINGAM.

LIPSIAE
PROSTAT APVD IO. CHRISTOPHORVM
MEISNERVM
BIBLIOPOLAM GVELPHERBYTANVM
MDCCCLXIII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



CHIESTOPHORI
HAELDRECHI

EPISTOLA

CA

MVLLENICUS MVMACIA . C

CA . A

CA

OTRICO-SCITUS-ET-SCITUS-SCITUS-SCITUS

SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS

SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS

SCITUS-SCITUS-SCITUS

SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS

SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS

SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS-SCITUS

SCITUS-SCITUS-SCITUS

SCITUS-SCITUS-SCITUS

SCITUS-SCITUS-SCITUS



D
uae res, Vir Clarissi-
me ac Doctissime,
quae languorem ad-
ferunt caeteris ho-
minibus, te acuunt
et reficiunt; otium
et solitudo. Nam quamprimum spar-
tam, quam nactus es, institutionibus
publicis ac priuatis menti adolescen-
tum instillatis ornasti, otioque et soli-
tudini tuae redderis, numquam minus
es otiosus, quam quum es otiosus,

A 2 D 1000 C Pu-

Publum Scipioneim Africanum imitans a), exterisque et a schola tua remotis profuturus. Nisi scripta a te edita fidem huic meo testimonio facerent, prouocarem ad illum temporis iucundissimi articulum, quo te in Museo tuo nec opinantem deprehendi intentum memoriae Laurentii martyris recolendae ac recognoscendae. Non potui non conatis tuis adplaudere atque simul te excitare, ut gaudium tuum cum meo de craticula Laurentiana, pinguissimum rorem exfudante, sociauerim, siquidem ex ea in utrumque nostrum quotannis guttae daptilles emanant. Petiisti a me, ut, siquid instituto tuo consentaneum mihi in promtu esset, tecum communicarem. Licet vero admodum dubitem, tibi tuisque meditationibus, adparatu optimo refertis, a me aliquid opis, accessionis, vel emendationis adferri posse, nolui tamen desiderio tuo deesse, legem quippe hanc secuturus, ut nequid eorum adtingam, quae iam chartae commendasti, et quae curis doctrinisque tuis debentur. Paucula ad Laurentium adnotabo; plura de

mo-

a) Cicero *de Officiis* III, I. §. I.

monasterio nostro Laurentiano post.
haec edifferam. Sunt, qui Laurenti-
um hunc, Romae ecclesiastica Christi-
anorum opera subleuantem, appellant
nunc *diaconum*, nunc *archidiaconum*.
At lis haec prorsus exspirat, simul ac
meminimus, saeculo tertio **nomen archidiaconi** fuisse intitulatum; habuisse
tamen unum passim episcopum ad al-
tare seu mensam sacram diaconos plu-
res ac eum, qui in horum numero,
passim septenario erat primus, saecu-
lo quarto **nomen archidiaconi** iam ge-
stasse. Iosephus Binghamus b) dilu-
cide: *Archidiaconi antiquis temporibus nonnisi Diaconi erant* -- *Certum est, Laurentium Archidiaconum Roma- num nonnisi Diaconum fuisse, primum e septem viris, qui stabant ad altare proximi et ministrabant.* Inde eis nomen
adhaeserat *ministrorum* et *Leuitarum*,
siquidem ipsi a sacerdotibus existima-
bantur differre. Episcopus ordinabat
Diaconos solus. Horum erat curam
vasorum sacrorum gerere: recipere
populi dona eaque sacerdoti offerre
ac nomina eorum, qui ea obtulerant,

A 3 reci-

b) *Origin. ecclesiast.* Vol. I. L. II. c. 21. §. 1.
p. 328. edit. Hal. 1724. 4.

recitare : evangelium legere vel decan-
 tare in ecclesia , nec tamen in omni :
 consecrata panis et vini elementa po-
 pulo , eucharistiam fumenti , porrige-
 re : baptizare infantes et profelytos ,
 necessitate exigente , in locis quibus-
 dam : populum sacris intentum adhor-
 tari ad preces : permisso Episcopi ad
 populum , in sacris versantem , con-
 cionari : Poenitentes , et ob peccata
 ab ecclesia seiunctos , urgente extre-
 ma necessitate , in gremium ecclesiae
 recipere : in conciliis ministeria epi-
 scopis exhibere : reprehendere eos et
 corrigere , qui in ecclesia ordinatum
 se praebendi modum violabant : loco
 episcoporum curam eleemosynarum
 accipiendarum et erogandarum gere-
 re ita , ut clam episcopo nihil face-
 rent . Vbi erat Archidiaconus , is E-
 piscopi erat thesaurarius , ac diaconi
 reliqui erant eius dispensatores , qui
 thesaurum seu eleemosynas ecclesiae
 miseris indigisque distribuebant . Ad-
 di hisce potest id diaconi officium ,
 quo ipse ad morbos et crimina populi
 Christiani Episcopo nuntianda erat
 obstrictus . Diaconus non ordinatus
 fuit , ut muniis suis fungeretur , ante
 annum aetatis vicefimum quintum .

Ex

Ex quo primi diaconorum eiusdem ecclesiae saeculo quarto ad maiorem adspirabant auctoritatem, horum Archidiaconorum erat praeter illa officia, quae iam recensuimus, Episcopo in dispensandis Ecclesiae redditibus opem ferre. At ante Constantini Maximi in Christianos prouidentiam Ecclesia redditibus eiusmodi carebat, profligans sumptus et necessitates ecclesiae modo per collatam stipem gratuitam, interdum corrogatam. Adiungam nimirum amplius, sed lectores ad Prudentium tuum, Vir Clarissime, et ad Binghamum remitto. Nomen *Archidiaconi* tribuitur Laurentio in *Pontificali Romano* c), in Adonis *Martyrologio* d), in *Martyrologio Romano* e), ac in pluribus Martyrum enumerationibus. In *Martyrologio Romano* haec leguntur ad decimum Augusti diem: *Romae via Tiburtina natalis beati Laurentii archidiaconi, qui in persecutione Valeriani post plurima tormenta carceris, verberum, diversorum scorpionum, fustium et plumbatarum et laminarum ar-*

A 4 deu-

c) Pag. 100. 2. f. To. III. Muratorii.

d) Ad X Aug. p. 390. edit. a D. Minico Georgio Romae 1745. Fol.

e) Pag. 170. Romae 1751. 4.

dentium, ad ultimum in craticula ferrea assatus, martyrium compleuit: cuius corpus a beato Hippolyto et Justino presbytero sepultum fuit in coemeterio Cyriacae in agro Verano. Anastasius, cui Pontificale Romanum vulgo adscribitur, martyrii autores vocat Valerianum et Decium. Ille enim erat huius praefectus praetorio f). Ioannes Laurentius Moshemius videtur de eo incertus fuisse g), utrum ad Decianam, an ad Valerianam persecutionem, adversus Christianos commotam, martyrium, a Laurentio expletum, referendum sit. Ipse sic fuit commentatus: *Inter hos, qui hoc bello ceciderunt, eminent Cyprianus, celebris ille Cartaginensium Episcopus, cui caput amputabatur, Sextus antistes Romanus, quem in crucem actum ferunt, Laurentius, celebris ille inter martyres diaconus Romanus, lento igne usitus: quamquam sunt, qui huius mortem ad Deciana tempora referre malunt.* In horum numero principatum tenet Do-

f) Ado ad II Aug. p. 400.

g) In *Commentariis de Rebus Christianorum ante Constantimum Magnum saec. III. §. 19. p. 548. Helmstadii 1753. 4.*

Dominicus Georgius, Romanorum
olim decus. Acta passionis Laurentii
graeca laudat Petrus Lambecius h);
latina, a nonnullis depravata, expen-
derunt Baronius, Henricus Norisius i),
Bollandiani ad X Aug. aliique, quem-
admodum indicasti, Vir Clarissime,
qui et ea, quae Ambrosius, Augusti-
nus et Leo Magnus k) de martyrio
Laurentii memoriae prodiderunt, si-
gnificasti satis superque. Sacramenta-
rium, quod ex tabulario Veronensi
Iosephus Blanchinius edidit 1735 in
Prolegomenis ad To. IV Pontificalis Ro-
mani, martyrium Laurentii paene
idem l) habet, quod Leo Magnus po-
steris reliquit. Sigilla, quibus utuntur
coenobia, ex Laurentio adpellari soli-

A 5 ta,

h) *Commentar. de Bibliotheca Vindobon.*
Vol. VIII. p. 121-124.

i) *Diff. III de Epochis Syro-Macedon.* p.
344.

k) *Sermon. in Festo S. Laurentii* p. 395, f.
edit. Quesnelli.

l) Conte Giacomo Acami, dell' Antichi-
tà Autore e Pregi del Sagmentario
Veronese; publicato dal Giuseppe Bi-
anchini della Congregatione dell' Orato-
rio nel Tomo IV di Anastasio Biblio-
tecario, *Dissertazione apologetica tri-*
partita. p. 82, f. in Roma 1748, 4.

ta , praeferunt Laurentium stantem ,
 habitu diaconi amictum , nimbo caput
 cinctum , dextra craticulam , finistra
 palmam victricem gloriose tenentem .
 Leo Magnus sigillum eiusmodi opti-
 me illustrat . En eius verba , Vir Cla-
 rissime : In Levitam Laurentium , qui
 non solum in ministerio Sacramentorum ,
 sed etiam dispensatione ecclesiasticae sub-
 stantiae praeeminebat , impius persecutor
 efferbuit . . . Postulabat sibi ab imma-
 culato sacrarii praefule opes ecclesiasticas ,
 quibus avidissimus inhibebat , inferri .
 Cui Leuita castissimus , ubi eas repositas
 haberet , ostendens , numerosissimos San-
 ctorum pauperum obtulit greges , in quo-
 rum victu atque vestitu inamissibiles con-
 siderat facultates . Fremit ergo praedo
 frustratus - - renuntiare Christo Lau-
 rentium iubet , et solidissimam illam Le-
 uitici animi fortitudinem diris parat
 urgere suppliciis , quorum ubi prima ni-
 bil obtainent , vobementiora succedunt .
 Laceros artus et multa verberum sectio-
 ne consciros iubet igne torperi . . . Sae-
 uisti , Persecutor , in Martyrem . Sae-
 uisti et auxili i palmam , dum aggeras
 poenam . Nam quid non ad victoris glo-
 riam ingenium tuum reperit ? Habemus
 ita hominem igne tostum . Habemus
 ita

ita martyris palmam. Non dispuo
 id in praesens, an imprudenter Lau-
 rentius reluctatus fuerit Valeriano,
 aerarium eleemosynas et stipem reli-
 quam ecclesiae complexum, ut sibi
 traderetur, vehementer cupienti. No-
 vi enim, Sixtum II episcopum Ro-
 manum, ad martyrii decus pergen-
 tem, Laurentio tradidisse omnes ec-
 clesiae facultates et thesauros. Duce-
 batur Sixtus cum duobus diaconis ad
 mortem, quum Laurentius clamaret:
 Ne me derelinquas, quia thesauros
 tuos iam expendi, quos tradidisti mi-
 hi. Haec si sunt vera, Laurentius si-
 bi supplicium contraxit. Addunt pri-
 sci scriptores haec porro. *Ideo a mi-*
litibus arreptus et Parthenio tribuno
traditus. Hic eum tradidit Valeriano
praefecto. Laurentius in carcere mul-
 tis caecis lumina restituit. Tum vero
 Valerianus eum thesauros indicare ac
 tradere iussit. Promisit Laurentius,
 se eos traditurum, et, triduo exacto,
 conspectui Valeriani exhibuit m) cae-
 cos, clados, debiles, pauperes. Im-
 perator, ad indignationem inde pro-
 vocatus, exui eum iussit ac scorpioni-
 bus

m) Ambrosius Offic. II. 28.

bus castigari. Hinc porro certatum fuit Imperatorem a) inter et Laurentium. Ille inhiavit non solum thesauro ecclesiae , sed eam quoque , quam Laurentio temere vertebat criminis; peruicaciam voluit peruincere ; hic vero imminebat victoriae , de ipso Imperatore et eius postulatis reportandae. Dominicus Georgius haec copiosius edisseruit. Restat , ut quaeratur , an iuste Laurentius Imperatori dengauerit thesauri ecclesiae traditionem? an de ea custodienda et celanda magis Deo et Episcopo , quam Imperatori ad eam indicandam fuerit obstrictus? Nolim iudicio meo heic indulgere , eo quod integritas facti per singula o) momenta , quae id circumsteterunt , mihi non satis patet. Si tempus episcopi Sixti II , si edicta Imperatoris in Chri-

- n) Is in *Pontificali Romano* vocatur Decius. At hic cum filiis iam anno 251 necabatur. Sextus II , anno demum 257 Romae coepit tenere Episcopatum. Laurentii igitur martyrium sine ratione in *Pontificali Romano* ad Decium refertur.
- o) Io. Georgius Pertsch , *Versuch einer Kirchenhistoric III. Saec. II. Cap. §. 46.*
p. 105.

Christianos aeratis Sixti huius, si plures rei gestae rationes secretiori cura et aestimatione pensito, in multas incidit difficultates, quae, quo minus de negotii indole, causa et euentu, iudicium feram, me prohibent. Tuum esto, Vir Clarissime, hasce discutere nubes nebulasue. Transeo potius ad Monasterium nostrum, honorem et memoriam Laurentii complectens.

An templa et altaria honori alterius Laurentii, qui presbyter fuit ac Martyr, cum pueris, quos suscepserat educandos, Nouariae ob doctrinam Iesu p) enecatus, fuerint unquam consecrata, admodum dubito. Laurentii enim diaconi constantia adamantina et voces in ipsis prunis generofiae q) admirationem omnis postea aei tra- xerunt, licet hae sint vel effictae vel omni elogio indignae. Sed de his postea. Nunc Tecum ad coenobii originem est eundum.

Initia coenobii Schoeningensis, patrono usi Laurentio, ad oppidum Cal-

p) *Martyrologium Romanum* ad 30 April.

p. 89.

q) Samuel Basnage in *Annalibus politico-eccl.* a. 258. n. 9. p. 391. To. II.

Cálbe referenda sunt , quod nūne
 Marchiae electoralis Brandenburgicae
 veteris vicus est ad confluentes Bi-
 sam et Mildam. Dynastae Alvenses
 lebii olim ibi insigne tenuerunt ca-
 strum , quod , funesto bello tricen-
 nali flagrante , Elector Georgius Wil-
 helmus iussit destrui. Adiacet vico
 tractus , insulae formam referens , lu-
 brico udoque solo cinctus , cui aequa
 nomen est Calbe. In hoc terrae ad
 Bisam tractu *Oda Comitissa , regia stir-*
pe orta , sanctimonialium congregatio-
nem pio voto collocauerat , in loco , qui
Caluo dicebatur iuxta Bisam versus a-
quilonem. Id ipsum dilucet ex diplo-
 mate Reinhardi episcopi Halbersta-
 densis , ad annum 1121 dato r). Nec mi-
 nus inde intelligitur , *venerabilem ma-*
tronam , Odam , et aliquas eiusdem
 loci Abbatissas Parthenoni illi varia
 praedia censusque varios donasse :
 Parthenonem illum cū multis malo-
 rum hominum incursionibus ac de-
 praedationibus fuisse conflictatum :
 virgines sacras supra Scheningam no-
 uis gauifas esse sedibus , in quibus
 ipsae

r) Io. Frid. Falckii *Addenda ad Traditiones Corbeienses* p. 760.

ipsae noluerint episcopo Halbersta-
densi morem gerere ideoque substituti
ipsis fuerint nutu illius episcopi, con-
sentiente Papa, Canonici regulares,
a S. Augustino nomen na^cti. Falckius,
ecclesiastes Evesensis, cur Bisam
mutauerit in Salam, rationem ignoro.
In autographo certe Salam non de-
prehendi. Quaenam illa fuerit *Oda*
Comitissa, regio genere nata, anqui-
rere solent rei historicae indagatores.
Oda, Ludolfi Ducis Saxoniae orienta-
lis coniux, indubie designatur. Nam
ipse Ludolfus in Regum ac Imperato-
rum diplomatibus adpellatur *comes* s)
et *Oda*, eius uxor, ex Pipino Italiae
Rege genus suum deducebat, *venera-
bilis* t) dicta, eo quod coenobiis con-
dendis sumtus animumque impende-
rat. Roswitha, stirpis regiae orna-
tam fuisse editamque splendore *O-
dam*, sic memoriae litteris u) pro-
didit :

Lui-

- s) Roswitha *de Constructione coenobii
Gandersheim.* v. 16: Gentis Saxonum
mox suscepit Comitatum.
- t) Ibidem v. 85.
- u) Ibidem v. 21. - 24. *Hist. Gandersh. meae*
p. 469.

Luidolfo coniux fuerat prae nobilis
Oda,
edita Francorum clara de stirpe po-
tentum:
Filia Billungi cuiusdam Principis
almi
atque bonae famae generosae scilicet
Aedae.

Billungus erat filius Amelungi x) dynastae Saxonici. Relinquitur itaque, Aedam e Francorum Regibus fuisse ortam. Hanc fuisse Attalam, Pipini Regis Italiae, ex Carolo Magno et Hildegarde procreati, filiam, ideo statuendum est, quod in stirpe Caroli istius nulla alia deprehenditur Aeda, Ada, Attala, Odilia. Luculenta sunt haec Eginharti de vita Caroli Magni e. 19: *Pipinus unum filium suum Bernhardum, filias autem quinque Adelbaidem, Atalam, Gundradam, Berthbaidem ac Thetradam, superstites reliquit.* Accedit, quod in Fastis Corbeiensibus ad annum 885 haec leguntur: *Oda Comitissa, Pipini Regis Italiae ex filia neptis, Hliudolfi Ducis vidua, in Calve* ad

x) Ibidem p. 73. Io. Georgii ab Eckart *Commentar. de rebus Franciae orient.* L. XXX. To. II. §. 97. p. 421.

ad flumen Milde fundat sanctimonialium ecclesiam in honorem S. Laurentii. Circa hanc Calbam, a qua videtur alia Caluo distinguenda, cuius Otto Rex ad annum 937, 13 Sept. in diplomate Quedlinburgensi iniecit mentionem, versus Gardelegiam siti erant fundi, e quibus recenti Parthenoni Laurentiano annui redibant census, et quorum partem Comites Osterburgici ac dynastae Alvenslebii atque Schenkii titulo beneficiario tenebant. Natalem Odae originem, ex regali Francorum stirpe deducendam, Agius presbyter y) adpellauit *nobilissimam Francorum prosapiam*. Mirum est, quod viri celeberrimi et ad posteritatis memoriam commendabiles, qui Eginhardtum commentariis suis illustratum ediderunt, M. Fridericus Besselius et Ioannes Hermannus Schminckius, de Atala, quam Besselius ex codice quodam vocavit Attulam, nil adulterunt memoratu dignum. Ne quidem Ioannes Georgius ab Eckhart quicquam de coniugio Aedae seu Attalae, Pipini

B

y) In *Vita Hathumodae* p. 451. Hist. meae Gandersb.

pini filiae, cum Billungo fuit suspicatus, qui tamen norat, Pippini filias in aula Caroli Magni fuisse educatas, parente a. 810, 8. Iul. extincto, ac a. 814. in aulam Ludevici Pii translatas. Anno 810. Attalae iam videtur mater inter mortuas fuisse relata. Ipsa Pipino circa annum 797 nupserat. Annales eam appellant Bertham, Guilelmo Tholosae Comite ac Aquitanorum Duce et Cunegunde natam. Erat Attalae soror Adelais seu Adela, Adelheid. Vtraque autem domi erat nomine internoscenda. Iunior itaque natu tenera adpellatione videri poterat adficienda. Ioannes Georgius ab Eckhart succinete: *Billunc cum fratre (Bennith) in Franciam receptus ob meritam patris Amalungi, Amaluini, qui Caroli Magni erat aulicus, Aedam, Francam origine, coniugem accepit, et inde filia eius Oda dici potuit edita Francorum clara de stirpe potentum, licet pater et avus illius Saxones origine fuissent. At cur ad Aedam adhaerescimus? Accedamus, Amice Clarissime, potius ad Laurentii ipsam aadem votuum, quondam Mildae adiectam. Infestarunt hanc Vngari anno 912, quippe qui tunc omnem Saxoniam longe*

ge lateque vastarunt z). Anno 937
 denuo Saxoniam a) populari tenta-
 runt Vngari. At siluis passim paludi-
 busque inclusi perierunt, reliquo gre-
 ge dilapso et in patriam reuerso. Im-
 perante Ottone secundo a. 983 exer-
 citus Bohemorum terras redditusque
 ecclesiae episcopalis Citicensis deprae-
 datus fuit, posteaque monasterium S.
Laurentii martyris, in urbe, quae Cal-
ve dicitur, situm, desolauit b). Reui-
 uiscere tunc poterat monasterium per
 virorum ditiorum opem, quorum fi-
 liae in eo degebant. Theodorici Mar-
 chionis filiam Odam, virginem in
 hoc monasterio sacratam c), Miseco
 Dux Poloniae duxit in uxorem anno
 977. Ex unico hoc exemplo intelli-
 gitur satis superque, virgines Calben-
 lis Parthenonis votivas fuisse genero-
 fiores atque liberiores. Et ob utram-

B 2 que

z) *Chronicon Quedlinburg.* a. 912. p. 278.To. II. Leibn. Annalista Saxo a. 912,
col. 240.a) *Chronicon Quedlinburg.* ad a. 937. p.
279.b) *Ditmarus Merseburg, Annal.* L. III. p.
345. Annalista Saxo ad a. 983. col. 337.c) *Ditmarus L. IV.* p. 359. Annalista Saxo
ad a. 977. col. 346.

que illam ipsarum indolem non possum, quin suspicer, ipsas labente iam saeculo decimo se in Canonicarum vitam habitumque induisse, decus atque morem aerati illi familiarem secutas. Oda certe, Theodorie filia, a Polonis expulsa anno 992. Quedlinburgum secessit, vitam Canonicae consuetam secuta, ibique anno 1023 d) diem obiit supremum. Oda in Parthenone Quedlinburgensi sororem habuit Othelhildem, anno 1020 e) defunctam, ac in Parthenone Calbenfi Mathildem, aeque Theodorici natam, quae inde ad Prebislai Principis Slauici thalamum egressa, posthaec a Boliluto Slauo, Brandenburgi Domino, vitiata, tandem repetit vitam monasticam ac Magdeburgi Abbatis-
sam egit fatoque ibi fuit functa f). Florebat enim tunc peraeque Magdeburgi Parthenon, in honorem Laurentii rite exstructus g). Suspicio mea, Vir Clarissime, induit auctoritatem atque fidem, simulac litteras In-

no-

d) *Chronicon Quedlinburgense* ad a. 1023.

p. 294. To. II. Leibn.

e) *Chronicon idem* ad a. 1020. p. 291.f) *Ditmarus Annal. L. IV.* p. 361.g) *Ditmarus L. I.* p. 326.

nocentii secundi Papae bullatas, anno
datas 1135, consulimus. Hic enim Par-
thenonis Calbensis, supra Schenin-
gam in locum nouum translati, ulti-
ma h) sic enarravit: Reinbardus bonae
memoriae alberstadensis episcopus Sche-
ningensem locum, in quo prius sancti-
moniales nequiter conuersantes, cum ne-
que in spiritualibus neque in temporali-
bus aliquem fructum ibi facerent, sed
potius, utpote absque regula et ratione
viuentes, per diuersas terras buc illuc-
que discurreverent, propter inutilitatem
personarum et earum malam conuersati-
onem - - exinde ipsas amouit hh) et
ibidem regulares canonicos esse decreuit.
Canonicas numquam adprobauerant
episcopi Romani, quarum sodalitia
saeculo octauo per Gallias orta i) et
saeculo IX iam per Germaniam pro-
pagata k) erant. Anno 802 demum
primam in Galliis mentionem canoni-
carum

B 3

carum

- h) Apud Jo. Frid. Falckium p. 761.
- hh) At quorsum eas et illarum diplomata
transtulit?
- i) Synodus Vern. a. 775. c. II. apud Jo-
anneum Harduinum in *Actis Conciliorum*
To. III. p. 1997.
- k) Schatenius in *Annal. Paderborn* ad a.
816.

carum puellarum factam esse, tradidit
Ioannes Mabillonius l). Earum regu-
la prima in Synodo Aquisgranensi ad
annum 817 condita fuit, auctore Lu-
dovico Pio, a Baluzio, Harduino a-
liisque foras data. Romani vero Pon-
tifices eam non solum non probarunt,
sed improbarunt quoque, regulae
nomen ei denegantes, ut Imperato-
rum imminuerent auctoritatem. Ro-
manum concilium anno 1059 perhibu-
it, illam sanctimonialium institutionem
tota Asia, Africa simul et Europa, ex-
cepto uno minimo angulo Germaniae,
receptam non fuisse m). Qui Cano-
nicarum institutum auctoritate saeculo
X munire studebant, Martyrologiis
ad 24 Decembris diem nonnihil intru-
serunt. In Adonis Martyrologio ad
eum diem haec leguntur: Eodem die
apud Antiochiam Syriae natalis sancta-
rum virginum quadraginta, quae perse-
cuti-

l) In *Annalibus Benedictinis* L. VIII. §.
 27. ad a. 590. L. XIII. §. 45. ad a. 647.
 L. XVII. §. 37. ad a. 684. et L. XXVII.
 §. 10. ad a. 802.

m) Mabillonius *Annal. Bened.* L. XVII. §.
 37. ad a. 684. L. XXVIII. §. 53. ad a. 817.
Praefat. in saeculum Benedictinum ter-
tiuum §. 3. n. 33. 34.

cutione Deciana . . . Lucense Martyrologium vocabulo *virginum* habet additum *canonicarum*, item Rabanus, nec non Martyrologium Ottobonianum et Corbeiense. Florentinus in *Notis ad Lucense*, virginis illas utique fuisse Canonicas, sibi persuasit. Baronius ipse Canonicas credidit antiquissimi fuisse instituti, quippe quas quaeſivit iam saeculo christiano primo n) et secundo. At Dominicus Georgius merito accedit sententiae Ioannis Mabillonii o), additamento illo repudiato. Ita Baronius magnam fidei suae partem inter Romanos iam decoxit. Ignoscendum mihi est, si paulo longius a Laurentiano Parthenone deflexi, et aliquid otii Canonicabus indulſi. Quaeres a me, Vir Clarissime, quandonam et quas ob causas virgines votiuae ex Calbe sedem suam transtulerint supra Scheningam in siluae Elm radices. Doleo vicem meam, eoquod hucusque in nullum incidi scriptorem saeculi undecimi vel duodecimi, quo duce annum et causam Parthenonis translati definire possim.

B 4

Si

n) *Annal. Eccles.* ad a. 57. n. 56. 92,o) Ad Adonis *Martyrologium* p. 3.

Si suspicionibus coniecturisque locus est, cladem, quae Christianis anno 1056. p) a Luiticiis, Sclavorum gente, ad Albim, ubi hic Havelam recipit, illata fuit haud procul Prizlava, in causa fuisse, cur virgines, Calba relieta, supra Scheningam fixerint sedem, existimo. Marchione enim aquilonali Wilhelmo a barbaris trucidato, praedones Luiticii Albim transfierunt ac Marchiae veteri miram incusserunt formidinem, prodigiosam inflixerunt ruinam. Reinhardus, episcopus Halberstadensis, et Innocentius II Papa, ultra quorum litteras nil nobis supereft antiquius, potuissent nobis ea exponere, quae nostram diligentiam heic tenent districtam in quae rendo. At ille voluit videri conditor monasterii Scheningensis ac dotis ecclesiae auctor, certe insignis amplificator. Quamobrem ipse sedem virginum, quas amouit, non mutauit in domicilium Canonicorum regularium, sed his aedem nouam monasticam seu claustralem curavit exstruendam. *Ipse enim in Saxonia primus auctor fuit*
com-

p) Annalista Saxo a. 1056. col.487. To. I. Eccardi. *Annales Hildeneshemenses* a. 1056. p. 731. To. I. Leibn.

communis vitae, secundum regulam b.
Augustini institutae. Quatuor ergo Ca-
nonicorum regularium instituit congre-
gationes; duas vero in Hamersleben et
in Kaltenborn a fundamentis instituit
et pro posse eas ditauit, In ciuitate suae
Ecclesiae B. Ioannis Baptiste Canonicis
non canonice viuentibus, et in Scheninge
Sanctimonialibus non sancte viuentibus
cum discretione remotis, Canonicos regu-
lares ordinauit q) Reinhardus hic, qui
ab anno 1107. usque ad a. 1123. cathe-
dram Halberstadi episcopalem tenuit,
Popponis Comitis Blankenburgici fi-
lius, voluit videri et existimari ma-
gnus per vanam alios et alia obtene-
brandi artem. Innocentius autem II
nil norat praeter ea, quae a Reinhar-
do et huius successoribus fuerat edo-
ctus. Hoc ipsum perspicitur ex hisce
ad Gotescalcum, Praepositum coeno-
bio Scheningensi, litterarum Innocen-
tii illius verbis; *Significasti nobis,*
quod frater noster Reinhardus - - - de-
creverit, sed quia idem locus constituens
fratrum officinis incongruus exis-
bat, eidem fratri nostro saniori consilio
B s v i s u m

q) *Chronicon Halberstadense* p. 130. To.
H. Leibn.

visum esse, claustrum ipsum de priori loco
 in quandam curiam suam, quam babe-
 bat in Scheningensi villa utilitatis intui-
 tu transmutare, ea tamen consideratio-
 ne habita, ut ecclesia illa antiqua cum
 omnibus ad eam pertinentibus sub eorun-
 dem fratrum potestate maneret, et per-
 petua ditione ac dispositione consisteret.
 Ecclesia illa antiqua, quam dudum
 virgines votivae a quadam Abbatissa
 sua ex Comite Palatino orta obtainue-
 rant, adpellatur nunc aedicula S. Ste-
 phani. Post Gotschalci Praepositi mor-
 tem domicilium Canonici suum trastu-
 lerunt in locum editorem et vicinum
 sibi Laurentii templum struxerunt.
 Ut Reinhardus adstringeret Canonicos
 regulares Scheningenses ad reveren-
 tiam et dioecesanam obedientiam, si-
 bi successoribusque suis praestandam,
 diplomata vetusta e conspectu Praepo-
 sitorum remouit sibique vel caligini
 mancipauit, quibus Parthenon olim
 fuerat instructus. Vindicabat sibi prae-
 ful ea iura, quae cum chartis illis in
 concordiam redigere haut poterat.
 Innocentius II confirmauit possessio-
 nes redditusque noui coenobii Augusti-
 niani, salua nimirum alberstatensis epi-
 scopi et iustitia et reuerentia. Inde ma-

nauit consuetudo, ut Praepositus re-
cens electus hanc recitare deberet iu-
risurandi formulam: "Ego frater --
" professus et electus monasterii sancti
" Laurentii martiris in Scheningen or-
" dinis Canonicorum regularium san-
" cti Augustini Haberstadensis dyoce-
" seos iuro et promitto, me velle obe-
" dire domino meo reuerendissimo e-
" piscopo prefate dyoces. Halbersta-
" densis ecclesie et successoribus suis
" canonice instituendis in licitis hone-
" stis et iustis mandatis, meque velle
" seruare obedientiam reuerentiam
" subiectionem et fidelitatem Domino
" meo reuerendissimo et successoribus
" eius, nec me velle esse in consilio,
" ubi de suo vel ecclesiae eius periculo
" seu dampno agetur. Sed omnia
" consilia sibi et ecclesie sue contraria
" fideliter et sine dilatione pandam,
" nec celando manifestabo literas nun-
" cios et mandata recipiam ac pro pos-
" se exequar cum omni humilitate.
" Regulam sancti Augustini, quam
" professus sum, statutaque seruabo.

Mutasset fortassis Reinhardus patro-
num monasterii, si Laurentio pre-
stantiorem potuisset comminisci. At
hic

hic iam basilicam sibi vindicauerat r) Romae, admodum opulentam. Huic templum dedicatum erat Mediolani s). Huic dedicata erat ecclesia Mersburgensis t). Huic Hispanos, Gallos, Italos, Britannos, et ipsos Graecos templa sacrasse, norat Reinhardus. Laurentius existimabatur esse ignium viator u) et incendiorum averruncus. Laurentii opem flagitabant x) praeliis decertaturi. Laurentii in honorem festissima solemnitas y) et Mis sa aurea fuit celebrata, ab ipsis Imperatoribus non neglecta. Placuerat ecclesiae antistitibus Laurentii animus, Valeriani iussa et cruciatus spernens, ac thesauros ecclesiae denegans avido Imperatori. Displicuissest hic animus dudum primoribus Christianorum non clericis, nisi Valerianus a Christianorum

r) Poëta Anonymus Saxo ad a. 799. p. 148. To. I. Leibn.

s) Arnulphi *Gesta Mediolanensium* cap. 20 p. 741. To. III. Leibn.

t) Ditmarus L. II. p. 332.

u) Ibidem et in *Chronico Halberstad.* p. 115. To. II. Leibn.

x) *Chronicon Halberst.* I. c. Ditmarus I. c.
y) Falckii *Addenda* p. 766.

rum institutis fuisse alienus. Venerabantur homines patrocinium Laurentii et ad illud obtainendum praedia monasteriis templisque Laurentio dicatis donabant. Per Laurentium iurisurandi formulae passim fuerunt conceptae. Qui in coenobio S. Laurentii coierant Canonici regulares ad Praepositum nouum eligendum, ita iurabant: *Ego frater - - promitto et iuro omnipotenti Deo et beatae virginis Mariae et Sancto Laurentio patrono ecclesiae nostrae, eum eligendum nominare et illi vocem meam dare, quem credo futurum monasterio nostro in spiritualibus et temporalibus utiliorem - - Notarii, testesque singuli, nec non compromissarii aequae iurarunt per Deum Mariam et Laurentium, quoties negotio electionis erant admouendi.* Reliquiae ossium Laurentii dicuntur reconditae in altaribus basilicarum maioribus passim, licet hae aliis coelitis essent consecratae. Sic basilicae Quedlinburgensis altare in medio ecclesiae dedicatum fuit honori sacrae Crucis, et sanctis Martyribus Laurentino et Pergentino fratibus, S. Laurentio aliisque, teste Chronico
 Qued-

Quedlinburgensi ad annum 1021. Hui-
mi procumbebant homines vene-
rabundi, simulac in templo capsula
proponebatur, cui particulam ex cra-
ticula Laurentii inesse fama erat. Un-
denam craticula illa ferrea, super qua
Laurentius igne lento enecatus est,
Christianis manserit nota, et quomo-
do inde singulis Laurentianis aedibus
sacris prouideri potuerit, in praesens
non inquiram. Iuvat hoc unicum ex
vita Theodorici Episcopi c. 16. adiun-
gere: "Cum iam Roma, regiis nu-
ptiis ibi ingenti gloria peractis, in pa-
triam redditum disponeremus, ultimo be-
neficio eoque pluribus copiose venerabi-
lem praefulem Dominus Papa de quatu-
or portionibus craticulae sancti Lauren-
tii locupletissime cumulauit, Eas Wi-
gericus cum Iohanne monacho ab ipsa
sacra crate extudit. Haec vero fue-
runt capita virgarum, quae per trans-
uersum iacuerant, costis exterioribus
infixa. Nam virgæ omnes, quae sex
in ea fuerant, iam inde a diuersis Apo-
stolicis a vetusto tempore quibusque Re-
gibus erant dono collatae, ex quibus una,
quae adhuc ante paucos annos supererat,
magno Imperatori Ottoni ab Octauiano
concessa est. Hae dum extunderentur,
costas

"costas proprius, intrinsecus capita, quae
"infra fortiter tenebantur, remanserant.
"Quae tamen ferro apposito, manu per-
"cussa, licet laborioso conamine, sunt
"discussa." Arvinam ex Laurentio ma-
lunt alii, quam craticulam, in qua ex-
spirauit, usibus suis impendere.

Diplomatum segetem numerosissi-
mam in lucem produxit z) vir olim
diligentissimus Ioannes Fridericus Fal-
ckius, ad Laurentianam nostram ec-
clesiam referendorum. Possem non-
nihil eis addere, nisi patientiam tuam
iamdudum fatigasssem, et nisi essent
permulti, qui in aethere poëtico epi-
coque, quam ad ignem diplomaticum
historicumque et criticum, malunt ca-
lescere.

Illud elogio indignum videri potest,
quod Laurentius, super catastam po-
situs et exuri coeptus, tyranno illu-
dens dicitur dixisse: *Affum est, verfa
et manduca* aa) Prudentius firmat id
enuntiatum hoc modo v. 405. f.

Prae-

z) In *Addendis ad Traditiones Corbeienses*

p. 758. - 849.

aa) Ambrosius *Officiorum L. I. c. 41.* p. 109.
edit. Mich. Förtschii Studgardiae 1698,
8, Item Ep. VII.

*Praefectus invertit iubet Laurentium.
Tunc ille: coctum est, deuora;
Et experimentum cape,
Sit crudum, an assūm suauius.*

A viro morti vicino ac Christum
fragranter respiciente aberant indubie
illusiones, iram et cavillationis libidi-
nem spirantes. Pigmenta et lecythi
oratorum intexuerunt ea martyrio
Laurentii, quae ad admirationem for-
titudinis facere videbantur. Magistra-
tui illudendum non est, cuicunque
tandem is religioni sit addictus bb).
Nec spiritus Iesu, qui animauit Mar-
tyres genuinos, illusiones ingenerat,
quas quippe potius damnat et exter-
minat. Mihi idcirco nequaquam fit
verosimile, Laurentium Imperatori
vel praefecto illis dicteriis illusisse,
quae nihil fortitudinis christiana, ali-
quid potius vesaniae, habent. Si mihi
suppeteret otium, carmen Pruden-
tii sub incudem historiae politicae ac
ecclesiasticae reuocarem, imminuens
vel demens ea, quae ipse per indo-
lem,

bb) *Histoire des Papes* To. I. p. 71. à la
Haye 1732. 4. *Nova Acta Eruditorum*
1734. p. II.

lem, oratore et poëta dignam, in historiam ipsam videtur peccasse. In ipsa urbe Roma olim narratio haud prorsus eadem de martyrio Laurentii legebatur. Nam *Pontificale Romanum* haud respondet in singulis historiae rationibus carmini, quod Prudentius de Laurentio ad posteros transmisit. Pontificale habet haec: *Fuit tempore Valeriani et Decii maxima persecutio. Eodem tempore hic (Sixtus II Episcopus Romanus) apprehensus a Valeriano et ductus, ut sacrificaret daemoniis, quia contempnit p[re]cepta Valeriani, capite truncatus est et cum eo alii sex diaconi, Felicissimus et Agapitus, Januarius et Magnus, Vincentius et Stephanus.* - - *Quo tempore arguebatur b. Sixtus sub Decio, et post passionem b. Sixti tertia die passus est b. Laurentius eius archidiaconus IV. Id. Augusti et Claudius subdiaconus et Severus presbyter et Crescentius lector et Romanus ostiarius.* „ At, Vir Clarissime, qui factum est, ut Prudentius Sextum Episcopum Romanum in crucem actum tradiderit exspirasse? Romani numquam non sibi persuaserunt, Sextum II iuxta viam Appiam fuisse decollatum, ubi extra Romae moenia nunc

C

visi-

visitur templum Sancti Sixti. In Martynologio Romano ad VI Augusti
 haec leguntur: *Gladio animaduersus martyrii coronam accepit.* Id igitur,
 Vir Doctissime, non vocas in dubium, esse in Prudentii carmine nonni-
 hil, quod examine est dignum: eam-
 que ob causam ea suffragiis nostris ex-
 cipienda haud esse, quae in eius carmi-
 ne martyrium Laurentii potius obsu-
 scant quam illustrant. An Domino pa-
 scenti numos, a coetu christiano col-
 lectos, Laurentius resistere debuit?
 An licebat ei miseros homines substi-
 tuere numis postulatis? Martyris fa-
 mae haec non congruunt. Dolendum
 omnino est, crudelitatem vexationis,
 sub Diocletiano Christianis per decen-
 nium illatae, in causa fuisse, ut ple-
 raque Martyrum acta fuerint igne fe-
 rali combusta. Sperare enim iusserant
 philosophi, in consilium vocati, Hie-
 rocles in primis, Imperatorem, fore
 ut, libris Christianorum sacris igne
 absuntis, tota horum religio per se se-
 corrueret. Quam ob rem Imperator,
 poenam capitis rectis sanctibus libros tra-
 dere irrogari, patiebatur. Quis igno-
 rat, magnam fuisse eorum, qui libros
 religiosos tradiderunt postulantibus,
 mul-

multitudinem? Quis nescit, libros hosce fuisse conquisitos diligentissime ignique datos? Accedit quod Martyrologia prima pleraque fuerunt priviliorum singulorum fasti, in quibus parum notitiae ad nomina Martyrum fuerat adiunctum.

At vero, Amice Clarissime, conuertemus nos ad laetiora, inter quae eminet mercatus maior anniversarius isque aestivus, Brunsuici solitus frequentari circa decimum Augusti seu ipsum Laurentii diem. Hic olim dies Canonice regularibus S. Augustini Schenengensibus erat perquam festus et laetissimus, patrono quippe dicatus, et Capitulo pridie in vespere seu pomericianis horis agitato insignis. Licet enim Praepositus ad commune colloquium maximis quatuor diebus festis conuocaret Fratres, confessus tamen, pridie S. Laurentii singulis annis institutus, vocabatur *Capitulum generale* et *maximum*, conuiuio quippe postridie splendidissime instructo comitatum. Quid ex vetusto hoc more adhuc superfit, haud ignoras, Amice. Brunsuensem *S. Laurentii missam*, seu potius nundinas maiores hic in memoriam reuoco. *Missa* primum quidem

C 2

ad-

adpellata fuit emissa publica ad Deum post concionem sacram formula pre-cum. Paullo post transiit vocabulum ad omne publicum coetus christiani officium, quod communes preces sum-torum eucharistiam ad altare antece-debat, et *missa catechumenorum* dici so-lebar; cc) *Missam catechumenorum*, cui interesse licuit Iudaeis, Paganis, Hae-reticis, excepit *Missa fidelium*, eximie sic dicta, a qua illi omnes fuerunt seiun-cti ac exclusi. Nocturnae ac vesperti-nae preces aequae vocabantur *missae*. Praeterea lectiones, collectae seu ora-tiones, nec non dimissio populi, dictae fuerunt *Missae* dd). Missa fidelium quoniam celebrationem eucharistiae post preces communes complectebat-ur, inde enata fuit consuetudo adpel-landi ipsam eucharistiae communiter sumtae actionem vocabulo *Missae*. In festis vero primariis, in honorem Martyrum institutis, sacro in templis cultu finito, conuiuia et ob haec expo-sitio mercium, iam antea instrueta, in oculis spectantium et emturientium fuere. Miram itaque per licentiam nun-

dinae

cc) Ios. Binghamus *Origin. ecclesiast.* Vol. V. c. 1. §. 2. p. 2, 1.dd) Ioann. Mabillon de *Cursu Gallicano* L. II. p. 107. 393.

dinae illae publicae vocatae fuerunt tandem *Missae*. Dies natales, id est, emortuales, Martyrum iam saeculo II cum hilaritate et gaudio anniversario fuisse celebratos, compertum habes, Vir Clarissime. Ritus hic, ut fieri solet, vires eundo per tempora adquisiuit. Nam agapae funerales seu natalitiae anniuersariae ad tumbas Martyrum iam saeculo tertio substitutae fuerunt coenis consimilibus funeralibus Gentilium, ad busta horum fieri solitis, Origenes, Chrysostomus, Paulinus, Hieronymus morem hunc laudarunt. Quo minus tamen natalitia illa in templis celebrarentur, veteruerunt Patres concilii Laodiceni c. 28, aequa ac Ambrosius et Augustinus. Id vero hic *Serm. XV.* reprehendit, quod inter fideles tam perniciosus error increuerit, ut super tumulos defunctorum vina et cibos conferant, quasi egressae de corporibus animae carnales cibos requirant. Solebant ex cibis vinisque adlati praesentes feriationis socii, praecipue egeni, recreari. Mos tamen hic, propterea quod in abusum tractus, merito sublatuſ fuit. Tandem festi Martyrum dies ex uno coetu effuderunt se paene

C 3

per

per om̄em ecclesiam latinam. Om̄nium Sanctorum memoria saeculo quarto iam recolebatur festo illo anniversario die, qui dudum *Trinitati* sacratus est. Potissimum vero Martyrum dies martyriis clari inde ex saeculo sexto in communem plurium coetuum devotionem transierunt. Saeculo decimo iam Laurentii natalis peculiari festo Romae fuit celebratus. Ex hoc fonte paullo post veneratio Laurentii per totam dimanauit ecclesiam occidentalem et tantopere excravit, ut ad honorem solemnitatum maximarum anniversiarum euehoretur. Monebat Brunsuicenses tempulum, Archangelo Michaëli et Laurentio sacratum, ut ne huius Martyris venerationem ipsi negligerent, quod festum quippe anniversaria ex Saeculo XIII solemnitate magnifice concelebratum fuit ee). Pretium maius adiecit solemnitati huic augustissimus Imperator Maximilianus primus, qui Brunsuico urbi duos mercatus maiores celebrandi licentiam a. 1505 indulxit; alterumque in proximam inde heb-

ee) Phil. Iul. Rehtmeieri *Antiquitates ecclesiasticae urbis Brunsigiae* P. I. c. 15. §. 1. p. 103, 104.

hebdomadem a die , qui Laurentio sacer est , reiecit . Vtriusque mercatus commercia et solemnitates in usum ipsum perduxit Dux olim Serenissimus Rudolfus Augustus anno 1681 ff). Potuisset Laurentius Brunsuici patronus esse coelestis atque tutelaris , nisi olim creditum fuisset , ex ossibus lento igne consumtis perparum gg) superesse reliquiarum . Malebat Gertrudis , Domina Brunsuici , corpus Sancti Auctoris totum ad sepe perferri , ut plus virium inde et efficaciae in tutelam urbis proficisci posset . Tot tamen reliquis ex cineribus ossibusque , Laurentio adtributis , huc illuc ex cryptis seu catacombis , ad Romam obuiis , in altarium antra quadrata fuerunt insertae , ut earum numerus vix iniri possit . Id mihi Vir Clarissime , semper instar prodigii visum fuit , quod pagani persecutores , si Iulia-

C 4 num

ff) Io. Frider. Pfeffingerus ad Vitriarium To. III. L. III. Tit. 2. §. 37. lit. a p. 385, f.

gg) Circa annum tamen 1048. Catalogus Paparum scriptus est , qui col. 1632. Eccardi To. II sic habet : Beatus Laurentius in cemeterio Cyriaci in agro Verano in crypta cum aliis multis fratribus sepultus est.

num exceperis, odio Christianos impleuerunt in varia Numina efficta, ad quae tamen et ad quorum venerationem et amorem ipsi ducere populum Iesu contendebant. Laetantium hh) iam eadem incessit admiratio, ita differenter: *Quis, quum videat laterum suorum cicatrices, non magis oderit Deos, propter quos externa poenarum insignia et impressas visceribus suis notas gestet?* Ita fit, ut, data diuinitus pace, et qui fuerint (lapsi,) uniuersi redeant: et alius propter miraculum virtutis nouus populus accedat. An in lecto ferreo, an in craticula Laurentius lento absumentus est igni? Vir Clarissime, Prudentius, eum fuisse impositum catastae et in ea exspirasse, tradidit. Catasta nequam fuit craticula, sed machina, ad tenendum et torquendum parata, in qua is, qui illi erat impositus ac devinctus, conspectui omnium patet. Si ignis ei subderetur, vicem ipsa craticulae praetulit. Inde videatur factum, ut scriptores ex catastae fecerint craticulam ferream, et, eo quod is, in quem saeuiebatur, in illo supinus iacebat, vel in latus, catastam dixerint lectum ferreum cum Isidoro
in

hh) *Institution. diuinar. L, V, c. 13.*

in *Glossis.* In Martyrologio Romano
et illo, quod Bedae tribuitur, omnino
lectus ferreus distinguitur a craticula ii).
Vice equulei functam fuisse catastam,
nolim diffiteri. Id vero contendere
haud ausim, catastam inter et equule-
um nil intercessisse discriminis. Mal-
lem praeclarissimus et Illustris quon-
dam Ioannes Matthias Gesnerus in e-
nodandis locis, in quibus legitur *ca-*
tasta Martyribus adplicata, plus tem-
poris ac diligentiae posuisset kk).
Saeculo iam quinto creditum fuit Ro-
mae, Laurentium in crate ferrea
mortem subiisse ac obiisse. Leo Ma-
gnus certe sic opinatus fuit. In Sermo-
ne, quo natalem Laurentii elogio orna-
uit, ipse haec habet: *Praedo frustra-*
tus - - Laurentium renunciare Christo
iubet et solidissimam illam Leuitici ani-
mi fortitudinem diris parat urgere sup-
pliciis. Quorum ubi minora nil obti-
nent, vehementiora succedunt. Laceros
artus et multa verberum sectione conci-

C 5

fōs

ii) Verba exhibuit Caspar. Sagittarius de
Martyrum cruciatibus in primitiva Ec-
clesia c. 10. §. 40. p. 115. f. Ienae 1673, 4.

kk) In *Nova Linguae et Eruditionis Ro-*
manae Thesauro To. I, col. 796. Lipsiae
1749, fol.

ses subiecto praecipit igne torri: ut
 per cratem ferream, quae iam de feruo-
 re continuo ex se vim haberet urendi,
 conuersorum alterna mutatione membro-
 rum fieret cruciatus vehementior et poe-
 na productior. Ado Viennensis in
 Martyrologio ad X Augusti lectum
 ferreum cum crate ferrea confudit.
 Accipe inde haec pauca, Vir Clarissi-
 me, et iudica: *Allatus est lectus cum du-
 abus costis, et, expoliatus b. Laurenti-
 us vestimentis suis, extensus est in cra-
 tem ferream: et allati sunt batuli cum
 prunis et miserunt (has) sub cratem ferre-
 am.* Qui quum furcis ferreis coarctare-
 tur desuper, dixit Decio: *Ego me obtu-
 li sacrificium Deo in odorem suauita-
 tis - - - Carnifices tamen urgentes mi-
 nistrabant, carbones mitentes subter
 cratem - - - Fefellit se Ado, ad De-
 cium respiciens, cuius cum persecuti-
 one aetas Episcopi Remani Sixti II
 prorsus non congruit. Multa ipse
 immiscerunt, quae Oratori magis conue-
 niunt, quam factō ipsi. Reliquias cra-
 ticulae Laurentianae adseruari Romae
 et formam eius a Gallonio II adeo
 adfabre descriptam esse, ut iures,
 ipsum suis oculis instrumentum hoc
 usurpatur.*

II) *De Martyrum cruciatibus c. 7.*

usurpasser mm), nosti mecum, Vir Clarissime, ex Sagitario. Ecquid tandem? Fui scilicet in eo occupatus, ut naeuos et errores a Laurentio et a martyrio eius abstegerem historicos. Tuum iam erit per te facere iudicium, addere meo iudicio aliquid vel elimare. Rediit huc usque epistola mea in orbem. A Laurentio martyre primordium cepit. Inde ad monasterium, honori eius in Calbe et supra Scheningam dicatum, deflexit. Tandem vero ad martyris nonnullos rerum articulos reuertit.

Nihil restat, nisi ut ad monasterium nostrum Scheningense animum reuocemus, de dignitate et redditibus eius per saeculum eius primum Augustinianum pauca edifferere conantes. Nouam ei sedem et aedem, nec non decimam ex agrorum villae Scheninge prouentibus indulxit Reinhardus Episcopus Halberstadiensis anno 1120. Monasterii huius Laurentiani aduocatum tunc agebat Fridericus Comes Palatinus, Sommerseburgi commorans, cuius familia emoriens, territorium Scheningense in ditionem Ducum incidit, quorum posteros in Caro-

mm) Sagittarius l.c. §. 39, p. 115.

Carolo Duce Serenissimo , Patre Pa-
 triae Clementissimo , pie veneramur.
 Anno 1121 denuo idem Reinhardus
 monasterium idem eiusque redditus au-
 thoritate literarum suarum confirma-
 uit redditusque eius annuos enumera-
 uit. Coenobio tunc praeverat Praepo-
 situs Thietmarus. Aduocatus erat E-
 uerhardus , nobilitate auita insignis.
 Iura et priuilegia coenobii praemuni-
 ebant literis suis bullatis Ianocentius II
 Episcopus Romanus anno 1135 , d. 29
 Ian. Pifis. Anno 1137 Rudolfus , Epi-
 scopus Halberstadiensis , coenobio tra-
 didit vallem , in qua lucus erat Merce-
 dal , resignatam sibi a Friderico Palatino
 Comite ex consensu Friderici de
 Sommerseburg et Rudolfi de Twiflin-
 ge. Praepositus Godescalcus tunc
 temporis monasterio praefuit. Pos-
 sessiones coenobii , quae in dies cre-
 uerant , confirmauit literis suis Rudol-
 fus , quem dixi , anno 1137. Idem coe-
 nobio donauit nemus quoddam anno
 1140. Idem Episcopus anno sequenti
 corroborauit permutationem , inter
 Bodonem Praepositem Scheningen-
 sem et Thrubicensem Praepositem
 Henricum initam , quo ille quatuor
 mansos ad villam Vdenheim sitos , ac
 dimi-

dimidium iuxta Suligge, monasterio suo adquisiuit. Ad annum 1147 commemorabile est diploma, quo Fridericus Palatinus eiusque filius Adelbertus sancti Laurentii arae Scheningensi tradiderunt quatuor mansos, ad Wadenstide sitos, consentientibus Irmengarde Marchionissa et filia eius Oda, ad quas agri isti ex hereditate peruerterant. Irmengardis illa fuit uxor Vdonis tertii Ludgeri Comitis Stadensis et Marchionis septemtrionalis, filia Theodorici Comitis Ploccensis, mater Henrici II Marchionis borealis, et duarum filiarum, Odæ, quae Henrico Illeburgico, Marchioni Misniae, nupsit, et Irmengardis, qua gauifus fuit uxore Poppo Comes Hennebergicus nn). Anno 1151 Ulricus Episcopus Halberstadiensis permutationem quorundam mansorum, ad Geroldestorp, Dalwerslowe et Welle pro manfis in Heregrimesthorp et eccllesia in Valethorp, coenobio traditis, confirmauit. Illos mansos obtinuerat Otto Comes de Hildesloue, consentiente Alberto Marchione. Traditione

nn) Cel. Io. Ludov. Lev. Gebhardi *Aquilonales Marchiones Electores Brandenburgici* p. 36 s. Lipsiae 1742, 4.

tio facta fuit *in prouinciali placito in villa*, quae *Valethorp* dicebatur. Successit his reddituum traditionibus confirmatio **Alexandri III**, praemunientis membrana bullata suaque auctoritate fundationem coenobii, eius donationes aliunde obtentas, atque priuilegia et iura, ad annum 1180. Consimiles litterae **Lucii III. Papae** ad annum 1182 spectant. Et cur adtentionem nostram faller diploma **Henrici Duci Saxonie et Comitis Palatini rhenani**, anno 1196. datum? Eo Dux, Henrici Leonis filius, se permisso declarauit **Henrico de Twiflinge** licentiam tradendi coenobio nostri **S. Laurentii molendinum**, intra Scheningam situm. Obtigerunt paullo post complura dona aedi Laurentianae. Nobilis Domini de Werberg Hermannus et Conradus fratres saluti suae sempiternae ut consularent, consuluerunt redditibus coenobii augendis. Conradus Episcopus Halberstadenfis has aliasque praediorum accessiones literis suis communiuit anno 1192. Incidit deinde lis **Comites Osterburgenses** inter et **Ditericum Scheningensis coenobii Praepositum** de possessione viliae *Scerenbike*, quam **Otto Praepositus et Sifridus Comes, Alberti filius**,

con-

I consentiente filio Wernerō ac uxore
 Comitis Sophia sic composuerunt, ut
 coenobium villam, manūs duobus ex-
 ceptis, et siliuam adiacentem dimidi-
 am retineret. Controuersia ipsa a.
 1212 fuit transacta. Posthaec dynastae
 Schenkii nec non Alvenslebii tenuer-
 runt ex beneficio coenobii bona illa
 et alia, intra Marchiam veterem sita.
 In opes et praedia coenobii illa tem-
 pestate inuolauit Comes de Altenhu-
 fen, ex eisque legit rapinas. Hunc
 Honorius III Papa anno 1220 damna
 refarcire et coenobio facere satis gra-
 uissime iussit, additis 1221 literis, qui-
 bus iura et possessiones coenobii cor-
 roboratum iuit. Id miraberis mecum,
 Vir Clarissime, aedem S. Laurentii ac
 contiguum ei monasterium anno 1235
 nequidem prorsus fuisse exstructum,
 Praepositumque, tot praediis instru-
 etum, haud puduisse, eleemosynas
 per Episcopos Germaniae corrogare,
 quibus aedificia coenobii posset perfic-
 cere. Exstant literae in hunc finem
 scriptae ab Eckehardo, ecclesiae Mer-
 seburgensis Episcopo, quibus ipse re-
 citoribus templorum, vicariis et coetui
 dioeceseos suae christiano id negotii
 dedit, ut stipem colligant mittantque
 collectam ad monasterium Schenin-
 gen-

AKT

5 (48) 50

1861


gense porro exstruendum. Sunt ad manus diplomata aliorum Episcoporum, idem negotium urgentia. Non est, quod plura addam. Promisso enim, quod dederam, steti fidemque meam liberaui, pollicitatus historiam coenobii Augustiniani per saeculum eius primum.

Nunc id unum adiungere animus est, quod in gaudio meo et in gratulatione consistit. Gaudeo scilicet, quod Ephoro gaudetis eruditissimo, pio, aequo, et ad humanitatem nato facto. Gaudeo, quod cum optimo collega M. Ballenstadio, Rectore praeclarissimo, amica et concordi societate molem laborum quotidianorum sustines et profligas. Gratulor tibi de editis a te scriptis graecis aequae ac latinis, quae eo sunt utiliora, quo minus sunt longa et diffusa. Gratulor tibi speciatim editionem hymni, quem Prudentius *dè martyrio Laurentii* magnifice, utinam magis historice, composuit. Gratulor tibi uxorem optimam et susceptum ex ea par sexus utriusque. Deum ter Optimum, Vir Clarissime, ut tibi haec gaudia porro conseruet, augematque, pie oro et obsecro. Sic opto et voveo. Ita vale cum tuis iterum itemque. Dabam Brunsvici Kal.

Aug. 1763.



nl



IO. CHRISTOPHORI
HARENBERGII
EPISTOLA

IO. ADAMVM SCHIERIVM

A. M.

DE
LAVRENTIO MARTYRE ET DE CONDITO
IN EIVS HONOREM MONASTERIO
AD SCHOENINGAM.

L I P S I A E
PROSTAT APVD IO. CHRISTOPHORVM
M E I S N E R V M
BIBLIOPOLAM GVELPHERBYTANVM

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

